N. 3967.

CURRENDA XIX.

A. D. 1864

N. praes. 105.

Concursualium examinum praxis regulatur.

Articulus XXIV. Conventionis inter SS. D. N. Pium Papam IX. et suam C. R. Apostolicam Majestatem initæ, sancivit: „*Parochiis omnibus providebitur publico indicto concursu, et servatis Concilii Tridentini præsriptionibus.*“

Quum vero praxis in ditionibus Austriacis a longa annorum serie eatenus vigens, non parum a præscriptis Concilii Tridentini recesserit, et Antistites Imperii censuerint, optandum esse, ut praxis hæc manuteneri permittatur, SS. D. N. Pius IX. litteris suis, die 17. Martii 1856 ad omnes Austriæ Antistites datis rescribere dignatus est: „*Nobis autem innotuit, in quibusdam germanici Territorii Diœcesibus aliquas circa parochiarum potissimum collationem invaluisse consuetudines, et nonnullos ex Vobis optare, ut hujusmodi consuetudines serventur; Nos quidem propensi sumus ad adhibendam indulgentiam, postquam tamen easdem consuetudines ab unoquoque Vestrum specialiter ac perdiligenter expositas debito examine perpenderimus, ut eas intra illos permittamus limites, quos necessitas et praecipua locorum adjuncta suadere poterunt.*“

Consuetudinem Diœceseos Nostræ hoc in objecto Romæ exposuimus anno labente in sequentibus:

„**BEATISSIME PATER!**

Episcopus Tarnoviensis ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humiliter exponit, se in examine promovendorum ad beneficia ecclesiasticam curam animarum habentia Sacerdotum, hucusque observasse ordinem ab Antecessoribus suis custoditum, et ex parte vigore legum civilium introductum. Olim etiam dispensationem ab ejusmodi examine Gubernium Provinciæ impertiebatur; quod autem recenti tempore ʃam ablatum est. Recuperatis jam recenter libertatibus ecclesiasticis Episcopus Orator efflagitat introducendi ad mentem S. Triden. Synod. Sess. 24. Cap. 18. de Reform. Examinatores, modumque Candidatorum examinandorum; et simul partem diuturnæ consuetudinis hucusqne observari solitae retinendi, ut examen quoad scientiam bis per annnm institui queat, utque a candidato bono cum successu superatum, sex annorum spatio validum sit. Facultatem insuper expostulat quosdam Ecclesiasticos quoad eruditionem, pietatem, et in exercenda cura animarum dexteritate probatos ab hujusmodi examine subeundo liberandi. Quare &c.“

Decisio desuper talis ad Nos pertigit:

„Ex Audientia Sanctissimi“

Die 11. Maji 1864.

„SSmus Dominus Noster Pius divina providentia PP. IX. referente me infrascripto Secretario S. Congregationis negotiis Ecclesiasticis extraordinariis præpositæ, attentis circumstantiis

animum suum moventibus R. P. D. Episcopo Oratori ad decennium hinc proximum tantum benigne concessit, ut praxim in omnibus fere Diœcesibus Austriaci Imperii vigentem in sua Diœcesi exercere pergat, habendi scilicet bis in anno concursus, pro approbandis quoad scientiam Sacerdotibus, qui parochorum munere fungi velint. Id tamen ea lege concessum voluit, ut hujusmodi concursus habeantur per Synodales examinatores ad Sacrorum Canonum normam electos, veluti monet Benedictus XIV, de Synodo Diocesana, lib. IV. cap. VIII. et quoties hi desint, per Examinatores Pro-Synodales Apostolica Auctoritate peculiariter delectos diligenter servatis Canonicis Sanctionibus, ac præsertim Apostolicis ejusdem Benedicti XIV. litteris, quæ incipiunt „Cum illud" Ut autem Sacerdotes admittantur ad ejusmodi concursus, iis dotibus pollere debent, quas Sacri Canones, et lex Diœcesana postulant, ac tum voce tum scripto respondere debebunt quæstionibus, quæ ab Examinatoribus fuerint propositæ, quæque inter cætera de positiva, uti dicunt Dogmatica, et Morali Theologia, itemque de positivo Jure Canonico erunt ferendæ. Quovis exeunte sexennio qui approbati fuerint, denuo concursui se sistant oportet, a quo onere ii dumtaxat ecclesiastici eximentur viri, qui in præsentia inter Synodales vel Pro-Synodales Examinatores sint adsciti, quique propter muneris aut beneficii, quo fruuntur, dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua Ecclesiæ cum laude servierunt, de eorum scientia probationem satis, superque exhibeant, quique iccirco ab Ordinario, audita Examinatorum sententia ab hac concursus lege immunes fuerint declarati. Præterea Ssmus Dnus Noster permittit, ut cum quævis parœcia suo fuerit orbata Rectore, præ oculis habita prædicta approbatione quoad scientiam, habeatur per commemoratos Synodales, aut Pro-synodales Examinatores de collatione concursus, in quo ipsi eam adhibentes cautionem, quæ in usu est, judicent, qui ex petitoribus digni sint, quibus parochia sit conferenda, servato tamen semper Ordinario jure eligendi inter sic approbatos, quem ipse digniorem in Domino censuerit. Contrariis quibuscumque minime obfuturis. Datum Romæ e Secretaria ejusdem S. Congregationis die, mense, et anno prædictis."

Alexander Archiepus Thessalonicensis
Secretarius m. p.

(L. S.)

Hanc itaque concessionem debito cum obsequio executioni mandantes, postquam diligenter expenderimus ea, quæ S. Concilium Tridentinum Sess. 24 c. 18 de reform. tum Decretum S. Congregationis Concilii die 10. Januarii 1721 editum, atque Clementis XI. assensu firmatum, nec non Constitutio Benedicti XIV. de die 14. Dec. 1742, incipiens a verbis: „*Cum illud*" præscribunt, denique quæ idem Pontifex in præclaro suo Opere de Synodo Diœcesana lib. IV. Capite VII. et VIII. exponit — sequentia in futurum servanda decrevimus salvo semper jure futuri Præsulis præsentes dispositiones nostras ita modificandi, prout in Domino expedire judicaverit.

I. Examen candidatorum pro beneficiis curatis instituetur duplex — alterum „*quoad scientiam*" alterum quoad reliquas requisitas qualitates, videlicet: „*ætatem, mores, prudentiam, et alias res ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunas*" ut ait Conc. Trid. Ses. 24 c. 18 de reform.

II. Utrumque examen instituetur per Examinatores prosynodales, vigore facultatis a S. Congregatione Concilii die 2. Augusti 1858. Nobis tributæ, de concensu Reverendissimi

Capituli Ecclesiæ Cathedralis Tarnov. a Nobis nominatos, atque ad mentem dispositionis Concilii Tridentini juramento obstrictos.

III. Utrumque examen instituetur Tarnoviæ tantum, attamen personalis præsentia Candidatorum nonnisi in examine „quoad scientiam" requiritur.

IV. Examen „qnoad scientiam" bis de anno, ut hucusque moris erat, instituetur, primis diebus Maji videlicet et Octobris, in Schematismo diœcesano quotannis in antecessum notificatis.

V. Valor examinis „quoad scientiam" ad sexennium proximum, a die ejusdem examinis computandum protenditur, ita ut Candidati in eodem approbati respectu doctrinæ habiles censendi sint, quibus qualecumque vacans beneficium intra respectivum sexennium conferatur.

VI. Ab examine „quoad scientiam" dispensari a Nobis „*audita examinatorum sententia*" poterunt sacerdotes, qui illis pollent qualitatibus, quas superius Rescriptum Pontificium, hoc fine expostulat. *) Attamen petita pro obtinenda tali dispensatione, opportunis adminiculis instructa, seorsive et tempestive sunt exhibenda, non vero promiscue cum petitis pro obtinendo aliquo beneficio proponenda. Audita itaque super talibus petitis opinione Examinatorum, Ordinariatus notificabit singulis Candidatis, num et in quantum precibus eorum delatum sit.

VII. Candidati ad examen „quoad scientiam" admitti cupientes, tempestive ante terminum pro tali examine præfinitum, insinuationes suas exhibeant, oportet. Quum autem SS. Dominus statuerit ad hoc examen illos tantum admitti posse Candidatos, qui iis pollent dotibus „quas sacri Canones et lex Diœcesana postulant" hinc inhærentes antiquæ praxi Diœcesis Nostræ, et Conclusis Antistitum Vindobonæ anno 1849 congregatorum, decernimus, eos tantum sacerdotes ad subeundum examen quoad scientiam admittendos esse, qui saltem per tres annos in cura animarum cum laude versabantur. —

VIII. Examen „quoad scientiam" ex iisdem, ut hucusque moris erat, materiis instituetur videlicet: e *Dogmatica positiva*, e *theologia morali*, e *positivo jure canonico*, e *paraphrasi S. Scripturae* N. F. tum e *theologia pastorali* atque *arte catechetica*, et Candidati ad quæstiones ex hisce materiis sibi propositas, „*tum voce tum scripto*" respondebunt, prout mandat supracitatum Rescriptum Pontificium.

IX. Examen scriptum duobus absolvetur diebus; videlicet quatuor horis ante meridiem et pariter quatuor post meridiem. Proponentur vero Candidatis sex quæstiones, una videlicet e quavis materia. Quæstiones hæ autem tales erunt, quæ ad praxim in cura animarum

---

*) Vigore Conclusi Episcoporum Viennæ 1849 congregatornm ab examine concursuali liberati sunt: Professores Theologiae actuales, Doctoros s. Theologiae, lauream Doctoratus via *rigorosorum* nacti, et Auctores ex aliquo Theologiae objecto — celebres. Episcopis jus attribuitur, ratihabendi examen Candidati ex alia Diœcesi, vel reprobandi.

proxime sese referant — nec subtiles, nec longioribus disceptationibus obnoxiæ. Ad scripto resolvendam quamlibet quæstionem spatium duarum horarum assignatur, quibus elapsis candidati elaborata sua illico tradenda habent, sive ea jam plenarie terminaverint, sive non. Ordo examinis erit sequens: 1. die post 7. hor. Candidati in Ecclesia Cathed. cum Breviario pro invocando Spiritu S. ad Missam comparebunt; dein ab 8. hor. usq. ad 10 *ante meridiem* e *Dogmatica* et a 10 usq. 12 h. *e Morali* — a meridie a 2. usq. ad 4. e *Jure canonico* et a 4. — 6. hor. e *Paraphrasi S. Scripturae* — 2. die mane e *Pastorali* et *Homiletica*, post meridiem e *Catechetica* — scribent unam eandemque quæstionem e qualibet illarum disciplinarum omnibus candidatis dictatam, quæ intra 2. horas resoluta aut non resoluta P. T. Examinatori resp. tradetur.

X. Quum decretum S. Congregationis Concilii de die 10. Januarii 1721, quod quoad integrum suum tenorem, in Constitutionem Benedicti XVI. „*Cum illud*“ receptum est, puncto 4o præcipiat, ut „*concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde quamdiu scribent nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.*“ cautela hæc sancte erit servanda, nec usus quorumpiam adminiculorum, (exceptis Sacra Scriptura, Concilio Tridentino et Concordantiis SS. Bibliorum) sub ullo prætextu permittetur. Contra agentes pro resilientibus ab examine habendi erunt.

XI. Responsa ad quæstiones *latino* sermone exaranda sunt, attamen ex theologia pastorali tum Catechetica etiam lingua vernacula conscribi possunt. Conciuncula pariter idiomate *vernaculo* conscribenda est, omnia vero elaborata a respectivis Candidatis propriis manibus tam scribenda quam subscribenda sunt, ut monet idem Decretum S. Congregationis Concilii, punctis 5o et 6to.

XII. Tertio die Candidati *oraliter* pertentabuntur, conciunculasque suas pridie compositas, vel alias nefors quas ipsi maluerint, *perorabunt.* Quibus absolutis examen quoad scientiam terminatur.

XIII. Super peracto examine quoad scientiam Consistorium extradet Candidatis approbatis testimonium. Candidati reprobati simpliciter tantum de infausto eventu examinis sui informabuntur.

XIV. Quum superius laudata Resolutio S. Sedis Apostolicæ statuat, in examine quoad reliquas, præter scientiam, dotes Candidatorum eam adhibendam esse „cautelam, quæ in usu est“ hinc expresse manutenemus praxim, vigore cujus Candidati, beneficium quodpiam anhelantes in termino præfixo petita sua Consistorio exhibeant, illisque omnia ea apponant documenta, e quibus aptitudo eorum & idoneitas ad beneficium, ad quod aspirant, perspici possit; videlicet litteras ortus, testimonia studiorum, testimonium super peracto examine concursuali „quoad scientiam,“ applicationis instrumenta, obtenta nefors collaudationum decreta, nec non sic dictam tabellam qualificationis, aliaque, quæ ad rem facere possunt.

AA. RR. DD. Decani foranei petita talia ad Consistorium promoventes, opinionem

suam apponent; meminerint autem conscientiam ipsorum super veritate effatorum suorum graviter oneratam remanere, illosque teneri ad candide patefacienda non tantum ea, quæ in favorem Candidati tendunt, sed etiam illa, quæ iisdum minus favent; quapropter observationes suas, præsertim quoad prudentiam et mores Candidatorum, omni humana affectione postposita, nullis importunis precibus cedendo, ac sine ulla reservatione pandere obligari. In ipsosmet enim redundaret culpa, si regimen animarum indignis confideretur manibus, et rationem de animabus, per id jacturam passis, in stricto Dei judicio reddere obligarentur.

XV. Candidatorum per Examinatores pro inhabilibus declaratorum Consistorium circa faciendam sic dictam propositionem, nullam habebit rationem, illisque petita absque effectu restituet.

XVI. Pro coronide adperimus mentem Nostram, quod nil magis in votis habemus, quam ut Candidati promotionem anhelantes omnibus viribus habilitatem desideratam acquirere adnitantur — jam quoad scientias, jam quoad mores.

Tarnoviæ die 23. Oct. 1864.

N. 3448.

Additamentum ad Decretum sacrae Congregationis de propaganda fide quoad V. controversiarum inter Catholicos graec. et lat. ritus in Galicia, Articulos, impressum in Cur. XII. a. c. sub N. praes. 104.

In Litteris Pastoralibus tam Excellentissimi Archiepiscopi et Metropolitæ Leopol. Francisci Xav. Wierzchlejski, quam Illustrissimi Episcopi Premisl. Ant. Jos. Manastyrski rit. lat. deteximus **Adnotationes** ad nonnulla puncta Decreti supra citati, quæ etiam Ven. Clero Nostro, ubi Eum inter et Ruthenos intercedit nexus, proficuæ fore censentur, idcirco in sequentibus communicantur:

„*Ad Passum B. a.* observamus: In Ecclesiis sui ritus, quivis Sacerdos secundum consuetudinem suæ Ecclesiæ super Altari debite præparato celebrare tenetur: adeoque Sacerdoti latino in Ecclesia latina super Antimensio græco celebrare non licet.

Ad passum C. a. committimus Reverendis Dominis Curatis, ut irremore *duos* novos conficiant *libros* ad inscribendos actus, super personis ritus græco-catholici, in adjutorium proprii earum parochi assumtos; unum videlicet Baptisatorum, et alterum Mortuorum. *) Perillustres Domini Decani in visitationibus decanalibus speciatim convictionem sibi procurabunt, præsto esse tales libros, eosque diligenter manuteneri. Parocho autem qui ejusmodi actum in adjutorium parochi alterius ritus assumserit, incumbet eundem non tantum *statim* inscribere in librum concernentem ut mox dictum fuit, comparandum, sed insuper via officiosa irremore respectivum parochum desuper informare tenebitur.

Ad passum C. c. Dies jejunii in ritu græco observandi, atque tempori *sacrato* adnumerandi, in quibus benedictio matrimonii inter personas mixti ritus locum habere non potest, sequentes specificantur.

*) Quia in Diœcesi Nostra libri ejusmodi pro Natis &c. ex aliena parochia casu necessitatis ad fontem regenerationis asportatis, præscripti sunt, hinc eisdem casus tales obvii inserantur oportet.

1. Quadragesimale jejunium incipiens a dominica lacticiniorum seu Quinquagesimæ usque ad Pascha, et tempus sacratum a Paschate usque ad Dominicam Antipaschatis seu in Albis.

2. Jejunium „Petriwka“ dictum, a die Dominica I post Pentecosten usque ad festum SS. Apost. Petri et Pauli seu 11. Julii novi styli, exclusive.

3. A die 13. Augusti novi styli, usque ad festum Obdormitionis seu Assumptionis B. V. M., seu 27. Augusti novi styli exclusive.

4. Ipsa dies festa Decollationis S. Joannis Baptistæ, 10. Septembris novi styli.

5. Ipsa dies festa Exaltationis S. Crucis, 26. Septembris novi styli.

6. Jejunium „Pyłypiwka,“ vocitatum incipiens die 15. Novembris novi styli, usque ad 5. Januarii novi styli inclusive.

Ad passum D. c. A sacra Sede Apostolica authorisati ad tribuendas dispensationes quoad servandos dies festos et jejunia juxta unum eundemque ritum, in familiis mixti ritus, tenore præsentium omnibus Reverendis Dominis Curatis subdelegamus facultatem dispensandi cum personis latini ritus ad servandos dies festos et jejunia juxta ritum græcum: tam cum membris familiæ mixti ritus, si parentes ita inter se conveniant, quam etiam cum famulitio in ejusmodi familiis substentato, ut circa jejunia et festos dies sese accomodent conventioni inter Conjuges, ut supra dictum est, initæ.

Quod vero attinet latinas uxores sacerdotum ritus græco catholici, facultatem dispensandi cum iisdem ad servandos dies festos et jejunia juxta ritum græcum, Nobis ipsis reservamus, — statuimusque ejusmodi dispensationes de casu ad casum a Nobis impetrandas esse.

Ad passum E. b. Ut Sacerdotes, nostri ritus confessiones personarum alterius ritus excipientes sciant, a quibusnam peccatis absolutionem impertire nequeant, transcribimus hic casus, in ritu græco respectivis Sedibus Ordinariis reservatos. Sunt vero sequentes:

In Archidiœcesi Leopol. rit. graec:

1. Homicidium voluntarium. 2. Percussio patris aut matris. 3. Incestus. 4. Peccatum carnale cum Monacho aut Monacha. 5. Violenta defloratio virginis. 6. Sodomia 7. Bestialitas. 8. Mœchia publica. 9. Magia. 10. Confessio sacramentalis peccatorum coram presbytero Ecclesiæ Romanæ non unito. 11. Annuum famulitium apud Judæos.

Porro in Diœcesi Premisliensi rit. gr.

quæ in circulo Sandecensi, plures numerat parochias:

1. Procuratio abortus. 2. Mutilatio violenta sui ipsius. 3. Simonia. 4. Percussio Clerici. 5. Absolutio complicis in peccato turpi. 6. Confessio sacram. peccator. coram presbytero Esiæ. rom. non unito. 7. Annuum famulitium apud Judæos.

Insuper hortamur Confessarios, ut quoad injungenda pœnitentibus ritus græc. opera satisfactoria, seu pœnitentias sacramentales, accommodent sese consuetudini in eorum ritu vigenti, adeoque pœnitentias in nostro tantum ritu consuetas, veluti recitationem rosariorum, coronarum, litaniarum, aliave similia, pœnitentibus ritus græci non imponant, sed eligant po-

tius sic dictas adorationes (pokłony), jejunia, quæ non cadunt diebus alioquin in eorum ritu jejunii lege obstrictis, recitationem orationis dominicalis aliaque similia.“

Hæc pro notitia et observatione. Tarnoviæ 24. Nov. 1864.

N. 3968.

Invitatio ad Currendarum in A. 1865 negotium.

Quoniam utilitas necessitasque imprimendi Notificationes in annum 1865 eadem, quam antecedentibus annis persistat: præsentibus significamus, easdem porro subjectum iri prelo, ad cujus expensas tegendas rursus provocatur Ven. Clerus.. per 1. Rh. V. A. pro exemplaribus ecclesiast. et scholasticis simul... Domini vero scholarum Magistri per 35 cent.

Quotas has usque *ad finem Feb. 1865* tum Ven. Presbyteri, tum scholarum Magistri ad resp. D. D. Decanos scholarum Inspectores certo certius expedire satagent.

Omnes autem, pro Quibus destinantur Currendæ, hisce ad diligentem cujusvis lustrationem statim post receptionem, nec non ad celerem reliquarum expeditionem obstringimus.

Quoniam Currendae non solum amplectuntur *notificationes*, verum *Ordinationes* quoque varias in futurum observandas aut *Casus practicos*, *medidationes*, *exhortationes* — idcirco necessitas earum *conservationis* in patulo est; quare Ordinationem anteriorem, quatenus Currendae sedulo colligantur, consuantur, recondantur et saepius volvantur.. praesentium tenore renovamus, ac simul Junioribus apperimus, plures earum materias saepe constituere objectum pro examine orali — imo Perillustribus Decanis injunctum esse officium, sub Visitatione Decanali quaestiones ex earum reperterio Junioribus proponendi.

Penes hanc occasionem apprecamur Cunctis faustissima quaeque ad N. A. tam Ven. Clero, quam fideli populo, ut Ille, qui pro nobis nasci dignatus, omnes sospites et incolumes quoad corpus et animam, quoad bona terrestria et cœlestia conservare haud dedignetur.

Tarnoviae die 28. Dec. 1864.

L. 3808.

Dziełko pod tytułem: „Die Obligationen des Kaiserstaates Österreich“ do nabywania za 70 c.

P. Tomasz Stempel przysłał Nam dziełko powyższe z prośbą o polecenie go Szan. Duchowieństwu. Po przejrzeniu jegoż uzyskaliśmy przekonanie, że takowe różne zawiera pożyteczne skazówki, formularze podań i t. d. i dla tego nie wahamy się podać je do wiadomości z poleceniem go.

Ogłoszenie zamówienia tak opiewa: „Unter dem Titel: **„Obligationen des Kaiserstaates Österreich“** ist ein Werkchen erschienen, welches die Staatspapiere sehr zweckentsprechend behandelt; es zeigt, wie man schon beim Kaufe die vortheilhafteren wählen kann; es zeigt die Vinculirung und Devinculirung, die Zusammen- und Auseinanderschreibung, die Convertirung u. s. w.; es zeigt, wie die Coupons, wie die Effecten sammt Coupons bei Cassen oder bei Depositenämtern erhoben werden; es zeigt, wann die Coupons, resp. Interessen verjähren, und wie man hier vorbauen kann; wie die Amortisirung bewerkstellt werden könne; wie die Vormundschaftsrechnung zu legen sei u. d. g. — Es ist 88 8° Sei-

ten stark, und enthält 12 mit Beispielen ausgefüllte Tafeln und kann das Stück um 70 kr. bei dem Verfaßer zu Graz mittelst portefreier Zusendung des erwähnten Betrages portefrei bezogen werden."

Pragnący tak cennego dziełka mogą się udać i do najbliższéj Księgarni, która niezawodnie ową książeczkę w jak najkrótszym czasie zapisze.

Tarnów 15. Grud. 1864.

L. 3809.

Księgarnia P. Majera we Wiédniu zaleca swoje Czasopisma i dzieła.

Odzywa się w ten sposób do Nas:

„Wir empfehlen unser reichhaltiges Lager guter Werke aus allen Wissenschaften, insbesondere aber der gesammten in- und ausländischen katholischen Theologie. Missale (sammt den verschiedenen Diöcesan-Proprien) Breviere, Diurnale, Gebetbücher, Jugendschriften, Prämienbücher sind in einfachen, wie in Pachteinbänden in größter Auswahl vorräthig, ebenso Canontafeln und Kreuzwegbilder.

Auf Wunsch senden wir jedes Buch zur Einsichtnahme, auch an entfernte Orte, zu, und stellen das Gelieferte mit Vergnügen in Jahresrechnung.

Nachstehende fünf Zeitschriften, von denen die drei ersten in unserem Verlage erscheinen, ersuchen wir Ihrer besonderen Aufmerksamkeit werth zu halten, und denselben durch Ihre geneigte Anempfehlung eine größere Verbreitung zu geben."

1. **„Wiener Kirchenzeitung"**, ganzjährig 11 fl.
2. **„Sonntagsblatt für alle Stände"**, ganzjährig 4 fl.
3. Oesterreichisches pädagogisches **„Wochenblatt"** zur Beförderung des Erziehungs- und Volksschulwesens, ganzjährig 3 fl.
4. **„Allgemeine Literatur-Zeitung"**, ganzjährig 8 fl.
5. **„Oesterreichischer Volksfreund"**, ganzjährig 18 fl.

Zasilenie ducha w literaturze temi czasy jak potrzebne, któż zaprzeczy? Z tego powodu księgarnia wyż wspomniona spodziewać się będzie licznych Zamówicieli albo *Czasopism* albo *dzieł* różnych z dziedziny Teologii. Tarnów 15. Grud. 1864.

N. 3969.

„Poczet Św. i Błogosławionych Pańskich pochodzenia słowiańskiego"

Dnus Hipolitus Stupnicki intendit, ut exhibet programma ejus, in una magna philura effigies omnium Poloniae Sanctorum repraesentare. Venerabile Officium Decan. programma Fratribus Condecanalibus communicabit, praenumeraturi vero quantum 2 fl. V. A. ad librariam proximam promovebunt cum nominibus Suis. Tarnoviae 29. Dec. 1864.

E Consistorio Episcopali,

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae die 29. Dec. 1864.
JOANNES FIGWER, Cancellarius.

Tarnoviæ & Jasło. Typis Anastasii Rusinowski, 1864.